Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26083
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Altare de terra facietis. In cuius area superiori fiebat ignis, vel cremanda imponebantur. Et de craticula altari superposita idem sentiunt. Arula vero, subter quam craticula posita legitur, hebreus arcunculam vocat vel sulcum, quam in medio parietum altaris fuisse dicit, usque ad quem locum altitudo craticule pertingebat.

De situ altaris et vasorum eius.

Positumque erat altare ante tabernaculum sub divo, non directe autem ante tabernaculi introitum, sed aliquantum ad meridiem descendens, ita ut ante ipsum immolantes, stantes ad aquilonem, inter ipsum et tabernaculum usque ad sancta sanctorum inspicere possent. Et quia stabant ad aquilonem et contra meridiem, quandoque legitur sacrificasse eos ad aquilonem, quandoque ad meridiem. Eratque in usus eius lebetes ad colligendos cineres cum habundabant, et deportandos qua in locum secretum et mundum reponebantur; et forcipes ad emundandum ignem altaris; et fuscinule, quas greci creagras dicimus, quasi uncini de caldariis cocte carnes proferebantur; et batilla, quasi vatilla a vehendo, quibus prune ab hoc altari ad altare thimiamatis deferebantur; preterea cacabos et ollas ad carnes coquendas, que tamen iuxta altare non coquebantur. Omnia vero enea erant. Hebreus sic habet: facies eius ollas et eius palas et eius pelves et eius uncinos et eius ignium receptacula.

De atrio circa tabernaculum.

Erat autem atrium circa tabernaculum in latere meridiano c. cubitorum, et in aquilonali c. in longum; in orientali vero l. et totidem in occidentali, et sic quadrum erat, sed in forma altera parte longiori. Eratque in latere australi xx. columpne alte v. cubitis, capita habentes argentea cum celaturis, cum basibus ereis, spacio v. cubitorum inter se distantes, super quas anuli singulis inerant. Figebanturque funes ab anulis usque ad capita paxillorum, qui erant magnitudine cubiti unius, et per singulas columpnas in terram valde fixi, ut atrium inmobile custodirent. Cortina vero de bisso mollissima c. cubitorum in longum et v. in latum per columpnas dependebat a capite usque ad basem diffusa, ut nichil a pariete differre videretur. Et ne forte per aeris intemperiem quandoque retro funibus et paxillis traheretur, ut sub ea tamquam sub tecto populus reciperetur. In eundem modum latus aquilonis xx. columpnas et cortinam habebat diffusam. Ab occidente vero x. columpne et cortina cubitorum l. in longitudine, v. in latitudine atrium cingebat. In ingressu vero ad orientem tres columpne hinc et tres inde stabant, et cortine iuxta has diffuse, nichil a prioribus differentes. In medio vero lateris eius iiii. erant columpne in modum portarum, quibus appensum erat velum de iiii. preciosis coloribus contextum opere plumario. Quod ad ingressum vel egressum de facili attolli et apponi poterat. Notandum tamen in longioribus lateribus fuisse columpnas xxi., inter quas erant xx. apture c. cubitorum, et in duobus minoribus xi. Sed propter angulares que communes erant duobus lateribus dicuntur ibi xx., hic vero x.

De lucernis.

Precepit quoque dominus offerri a filiis Israel oleum olivarum purissimum, piloque tunsum, hoc est purum, et quasi nuceum vel lineum vel mirtinum vel raphaninum, ut semper arderet ex eo lucerna in tabernaculo testimonii, quam accendebant Aaron et filii eius in vespere, et usque mane lucebant